




kem/3496(1-9)

553





DE  
DIGNOSCENDIS  
AUDITUS VITIIS

---

PRAEMISSA SOLEMNI  
AD THESES MEDICAS DISPUTATIONE,

CONSENSU  
FACULTATIS MEDICAE  
HALENSIS,

GRADUM DOCTORIS MEDICINAE  
IMPETRATORUS

DISSESTIT  
CAROLUS FRIDERICUS GIEBELHAUSEN,  
MANSFELDENSI.

---

HALAE  
TYPIS JOANNIS GODOFREDI RUFFII.  
M D C C C I C.



PERKOGENDIS  
AUDIUS VITIA

AD THERESIENSTADT  
MISSA SOLEMNIS

ACUERITA MUSICA

MISSA SOLEMNIS

MISSA SOLEMNIS

MISSA SOLEMNIS

MISSA SOLEMNIS

etiam quod non solum in modis diversis oritur ut sit etiam  
in eo quod subiectum est solidum et solido etiam quod sit  
item subiectum minus tempore et sensibili membris et quod sit  
minus solidum. Et hoc videtur quod invenitur in membris  
et sensibili membris et sensibili membris non hoc est  
quod sit sensibili membris in membris sensibili membris  
et quod sit sensibili membris in membris sensibili membris.

## DE

# DIGNOSCENDIS AUDITUS VITIIS.

## I.

**U**ti tota dignoscendi ars summam fere cognitionum medicarum complectitur, omnibusque ratiociniis, et, quae tempora ferunt et auferunt, commentis longe praeferenda est; ita auditus vitia qui rite dignoscit, sumnum fere attigit ejus artis fastigium.

Namque instrumenta, quibus utimur in audiendis sonis, hactenus abscondit alma natura, ut nullum eorum sine difficultate anfractuum osseorum dissectione conspiciri possit. Unde etiam factum est, quod ea instrumenta per plura saecula penitus incognita, decimo sexto denique innoverent, **VESALIO**, **INGRASSIA**, **EUSTACHIO** et **FALLOPIO** praeuentibus.

2.

E neglecta vero vitiorum eorum diagnosis sequuta est coecutiens prorsus et empirica methodus, qua curare vulgo eadem student. Si quis enim surdus medium vulgarem advocat, protinus hic vel ad tubos auditorios, vel ad alia remedia transit, quorum efficaciam aut ipse expertus est, aut in aliorum scriptis legit. Ea sine rationibus et promiscue adhibet, saepius sine ullo emolumento, donec aeger, taedio correptus, ad agyram confugiens, nonnunquam ab hoc celerius et tutius fanatur. Sic perit gloria artis cum inscitia aut negligencia artificum.

3.

Operae pretium itaque me facturum esse arbitror, dum praecipuos surditatis casus pro viribus investigare, signaque eorum diagnostica rite indagare conor. Id vero tentamen, a tirone medico institutum, iuxta tironis mancam omnino et non satis firmatam cognitionem diudicandum erit. In id autem potissimum inquireamus auditus vitium, quod vulgare est ac saepissime medico curandum traditur, surditatem nimurum, quae, quomodo differat, quoniam ratione variae eius causiae a se invicem discernantur, exponam.

#### A. SURDITAS A VITIS INSTRUMENTORUM EXTERNORUM.

4.

Instrumenta externa, quibus auditus producitur, ea appello, quae citra tympani membranam posita sunt,

interna vero, quae ultra eam membranam partes magis  
in osse temporum reconditas complectuntur.

Externarum prima pars est **CARTILAGO CONCHÆ-FORMIS**, quae cum **HELICE** et **ANTHELICE**, **TRAGO** et **ANTITRAGO**, cava sua superficie omnes, unde unde  
veniant, sonos occupat ac in meatum deducit auditio-  
rium. Ea pars cum multo amplior sit meatu, ac vario  
modo exstet, inde efficitur, ut soni insigniter robore aucti  
ad tympani membranam tanquam in focum colligantur.  
Vittarum autem usus et fasciarum, quibus capita Euro-  
pæorum a primo inde lucis adspectu vinciuntur, mul-  
tum de ea nativa auris perfectione demit. Inde obtu-  
sius audire dicuntur, quibus auris externa resecta fuit *a*).  
Hinc a **GALENO** jam animadversum est, manu ad an-  
gulum cum capite rectum retro aurem apposita, me-  
lius surdastros audire.

## 5.

Secunda pars, **MEATUS AUDITORIUS**, annulis  
cartilagineis in introitu compositus, incurva directione  
versus tympani membranam progrediens, saepius sur-  
ditatis caussam continet.

*a)* Potest enim a nativitate inde *æryptos* esse, ut  
nullus pateat aditus ad internas partes. Eam atresiam  
connatam in sinistra aure observavit **LACHMANDIUS** *b*).

*a)* **Haller** elem. phys. vol. V. p. 279.

*b)* Eph. nat. cur. dec. I. ann. 6. 7. obs. 178.

b. Deinde obstruitur variis caussis, quorum  
pertinent:

a. Ceruminis incrassatio aut concrementa dura  
et saepius etiam calculosa. Eam unguinis speciem na-  
tura produxit, ut cutis ab aëris violentia defenseretur,  
mollis et sensilis servaretur. Incrassatur autem ab  
aëris externi particulis oxygeniis, quae materiam albu-  
minosam in concrementa ejusmodi abire cogunt. Hinc  
etiam cum TRNKA DE KRCZOWITZ credendum est c),  
easdem caussas, quae concrementa calculosa in arti-  
culis et vesica urinaria producunt, huic etiam surditatis  
speciei ansam praebere, facillimeque cerumini ad-  
judicandam esse surditatem, si dispositio arthritica diu-  
jam corpus vexavit. Deinde vero eandem caussam pro-  
babili conjectura consequimur, dum diutius jamjam  
aeger se aurem purgare non meminit. Saepius quoque  
auriscalpio immisso inspissati succi pauxillum promi-  
potest, unde, quaenam sit causa surditatis, illico  
patet.

Vulgaris ea caussa nec periculum nec moram ha-  
bet diurnam, quippe cum aqua tepida aut sapone so-  
luto injectis facile solvantur ejusmodi concrementa, imo  
laetis calidi vapores idem etiam saepius perficiant.

---

c) Histor. cophoseos, p. 41.

a. Multo gravior est morbus, a vermis aut insectis, quae in meatum auditorium irrepserunt, ortus. Dolores atrociiores, ipsaque nervorum distensiones dirae nonnunquam accedere et alium omnino morbum mentiri solent, cuius exemplum satis memorabile adfert ACRELIUS. d) Similia exempla narrat e VALESCO DE TARANTA et MONTANO SCHENCKIUS DE GRAFFENBERG. e) Conspiciuntur nonnunquam vermes aut insecta, dum lente convexa candelae radios collectos in meatum auditorium illabi jubemus. Mortem ipsam ex gryllo, qui aurem intraverat, observavit Samuel LEDELIUS. f) Putavit medicus, gryllum hunc forsitan foetus exclusisse, cum immanes capitatis dolores et furores ad mortem usque consequerentur.

Alia peregrina posse in aurem illabi, adeoque surditatem efficere, observatione VALENTINI constat, g) qui medicastrum e surdi aure pisum eduxisse refert. Eas observationes jam a pristinis inde temporibus fuisse institutas, patet ex AETII consiliis, quae ex HERALIDE TARENTINO deponita sunt. Commendantur

d) Chirurgiska händelser, p. 159.

e) Observ. p. 176.

f) Eph. nat. cur. dec. II. ann. 2, obs. 39.

g) Ib. obs. 164.



autem varia adversus fabas in aurem illapsas, tanquam  
vulgarem casum. h)

7.

v. Vulgaris causa haeret in meatu auditorio, dum  
ulcere aut abscessu corripitur. Eos autem abscessus in  
ipso meatu haerere, neque altius, vel ex cerebro saniem  
defluere, cognoscitur e locali potissimum dolore, qui  
neque cephalalgia neque sensuum aliorum vitiis con-  
junctus est. Nonnunquam etiam conspici potest mani-  
festo id ulcus, dum candelae lumen, lente convexa au-  
ctum, in meatum colligimus. Animadversum praeterea  
est, ea ulcera cohaerere cum universalis corporis morbo.  
Observavit enim WEIKARDUS i), fluxum aurium pu-  
rulentum saepius sequi fluorem album mulierum; et  
alii viderunt, tum in scrofulosis infantibus, tum etiam  
in venereis satis vulgarem esse otorrhœam, quæ solos  
abscessus aut ulcera vel scrofulosa vel venerea supponeret.  
Sic DUVERNEYUS vidit, glandulas meatus auditorii  
conglobatas in scrofuloso morbo obstructas et ulceratas  
surditatis causam præbere. k) Et BORDEUS otorrhœam  
diuturnam a scrofuloso vitio pendere egregie docuit. l)

b) Aët. tetrab. II. serm. 2. c. 87.

i) Medic. Fragm. S. 170.

k) De l'organe de l'ouïe, p. 95.

l) Recueil de pièces, qui ont remporté le prix de l'acad. de  
chirurg. vol. III. p. 69.

A blennorrhœa suppressa ortam surditatem semel ob-servavit SCHWEDIAUERUS, idemque de cophosi syphi-litica fuse agit. *m)*

## 8.

*s).* Fungi, polypi, sarcomata, aliisque id genus tu-mores raro haudquaquam in meatu auditorio generan-tur, de quibus cognoscendis et exterminandis fuse agit BELLIUS. *n)* Quodsi ii tumores totum ubique meatum obstruunt, nullusque sonus ad tympani mem-branam progreedi potest, non potest non tubo uti aeger, qui ori inditus tubae Eustachianæ sonos communicat, cuius rei exemplum SACHSIUS refert. *o)*

## 9.

Tertia pars, quae externas partes ab internis dis-terminat, est MEMBRANA TYMPANI, quae naturali statu meatui protensa suscipit radios sonoros et ab iis in vibrationes cogitur. Qui motus vibrantes cum sum-me necessarii sint, ut inde ossicula auditus moveantur, vario modo laedi auditus potest ea membrana laesa.

*a.* Rumpitur ea membrana aut vulneribus perfo-ratur, ut rite tendi ac vibrare nequeat. Auriscalpiis

*m)* Sur les maladies syphilit. vol. I. p. 165. vol. II. p. 77.

*n)* Lehrbegriff der Wundarzneyk. Th. 4. S. 100.

*o)* E. N. C. dec. I. ann. 1. obs. 35. schol.

nimia vehementia intrusis adeo nonnunquam vulneratur, ut auditus debilitetur. Nonnunquam quoque animadversum est, sonitu nimio aut fragore tormentorum bellicorum ruptam esse membranam. p) Rumpi etiam potest ulceribus internis sanie profundentibus, quae hanc partem corrodit.

Neque tamen eo minus existant varii casus, ubi perforata hac membrana illaeius supererat auditus. Toties observatur enim foramen membranae, ut praeterlaps⁹ seculo Aug. Quirin, RIVINUS naturale id crederet, adducto eorum exemplo, qui fumum tabaci per aures edant. Primus vero WALTHERUS ostendit, omnino praeternaturale esse id foramen, atque auditum saepenumero ob solam eam causam debilitari. q) Vidit is enim tum deum foramen illud oriri, quum alias partes vicinas simul destruxerat.

## IO.

In eo statu disruptae membranae tympani natura saepius succurrere videtur auditui difficulti, dum SECUNDARIUM illud TYMPANUM, seu membranam, quae fenestrae rotundae praetensa est, in eum finem creavit, ut motus vibratorios simul cum primario tympano percire posset.

p) Fabric, Hildan. Cent. III. obs. 5. 6. Cf. Morgagni de sedib. et cauſ. morb. ep. LII. 25.

q) Haller diff. anat. vol. IV. p. 334. 354.

Etenim canes, quibus lacerata est membrana tympani locoque mota ossicula, auditu statim orbati non sunt, si vero progressu temporis surdi fiunt, id aëris aliorumque subingredientium corpusculorum iniuriis e Morgagnii doctrina est tribuendum.<sup>r)</sup> Neque auditu penitus carebant homines, quorum tympanum morbus eroferat, quod profecto contingere haud potuissest, nisi altera sono eademque per secundarium tympanum via ad labyrinthum usque pateret.<sup>s)</sup>

Binae sunt apud HILDANUM observationes, in nostra quam in contraria sententia rectius explicandae.<sup>t)</sup> Harum altera matronæ est, quae cum a prima aetate ad vigesimum quintum usque annum materiem purulentam ex auribus effudisset, coepit deinde aërem clausis naribus atque ore per ipsas aures exspirando ita vehementer efflare, ut impositas pennas atque festucas impelleret et bullas interdum in ipso pure excitaret. Altera civis est eodem affectu laborantis, qui aërem per aurem sinistram tanta vi propellebat, ut et sibilum edderet, quem adstantes facile percipiebant, et candelam admotam extingueret. At in tanta aurium labore auditus utrius vix erat depravatus. Cur id quaeſo? Nonne aër ex ore ad meatum auditorium ultro citroque per-

r) Epist. anat. XIV. 10.

s) Scarpa de fenestra rotunda §. 31. in Römer. delect. opusc. italic. p. 56.

t) Cent. III. obſc. 2. 3.

means indicabat membranam tympani diuturna suppuratione fuisse corrosam? Hac autem membrana deficiente quis esse poterat officiorum usus? Minimus profecto, ne dicam nullus. Quidquid igitur matrona illa et civis audiebant, per secundarium tympanum potissimum audiebant.

## II.

Hinc itaque sequentia patent signa diagnostica ruptae, vulneratae aut alio modo laesae membranae tympani,

1. Auditus non penitus abolitus, sed debilitatus aut depravatus, cum plerumque soleat natura providere ope tympani secundarii,

2. Cognitio caussarum praegressarum, nimiae violentiae, ulcerum, vulnerum aut aliarum violentiarum,

3. Exitus aëris fumique per aures, dum contento ore spiritum versus aures protrudit aeger,

4. Exitus humorum auri injectorum per oris cavitatem.

5. Specilla auri immissa multo profundius penetrant, quam in statu naturali,

## I2.

b. Membrana tympani quoque relaxatur saepius atque ita debilitatur, ut vibrare nequeat, si radii sonori in eam incident.

**Id vitium nonnunquam nativum est, dum smegma, quod in embryonibus et recens natis eam membranam obducit, retinetur eamque membranam ita relaxat, ut vibrare rite non possit.** u) Crassam eam membranam vel muco obductam FABRICIUS HILDANUS et VAL-SALVA in surdis vidertint.

Attamen fieri etiam potest, ut acquiratur ea laxitas iis omnibus caussis, quae solidas partes debilitare mucoque obducere possunt. Inde nonnunquam vide-mus, surdos melius audire in arida tempestate et dum eurus aut boreas flant, quam notho aut zephyris spirantibus aut pluvia tempestate. Eo etiam signo diagno-stico uti possumus, ut ea causa dignoscatur. v)

## B. A VITIATIS PARTIBUS INTERNIS.

### a. Cellulae mastoideae.

13.

Transeo jam ad internas partes, quae ab externis ope membranae tympani discernuntur. In cavitate tympani ipsa saepissime latet causa surditatis, quae multo difficiliter dignoscitur, quam quodvis externorum instrumentorum vitium.

u) Bonet, sepulcr. anat. lib. I. sect. 19. addit. obs. 1 — s.

v) Cf. Platner, pr. de morbis membranae tympani. Lips. 1780.

Et primum quidem e tympano patet aditus ad ipsas cellulas mastoideas, quarum proxima, ANTRUM VALSALVAE dictum, pone incudis ossiculi crus posterior et supra malleum posita, velut appendix tympani est. Pone id antrum incipit os petrosum, dudum supra processum mastoideum, cellulis excavari, quae deinde, prout cum adultiore vita in processus elongatur, ipsae una descendunt et producuntur. Eas autem cellulas usui non mediocri esse in auditu promovendo vel inde patet, quod animalia, quae acute audiunt, alia antra resonabilia in cranio habent, et in avibus, quibus musica auris est, supra et infra cerebrum utraque auris interne cum altera communicat et alioquin cellulae inter duas cranii laminas interruptae abundant. <sup>x)</sup>

## 14.

Muco rubro, quo naturaliter eae cellulae cum tympani cavitate ipsa repletae sunt, nimis abundante omnino surditas oriri potest. Id autem vitium ut distinguatur, sere fieri nequit. Ideoque etiam curatio, quae forato processu mastoideo perficitur, clarae et manifestae diagnosi haudquaquam innititur. Arbitror tamen, conjectura probabili eam caussam consequi posse medicum, si inflammatio auris aut catarrhus vehemens sive rheumatismus praegressus surditatem attraxerit.

<sup>x)</sup> Haller. elem. physiol. vol. V. p. 222. Cf. Ad. Murray in Ichwed. Abhandl. J. 1789. S. 300.

Tunc itaque perforatio processus mastoidei est tentanda.

Facilius vero dignoscitur caries cellularum earum ac ossis, quod cavant. Nam et dolores continui rodentes et caussae praegressae et integumentorum livor prodere solent ejusmodi cariosam ossium labem. Tunc vero utilem esse perforationem processus, HEUERMANI observatione constat.<sup>y)</sup> Similia exempla felicis successus, quam haec curatio habuit, narrant FIELITZIUS,<sup>z)</sup> JASSERUS <sup>a)</sup> et LOEFFLERUS. <sup>b)</sup> Dolendum tamen, auctores non rite signa diagnostica indigitasse, quibus perforandum esse hunc processum pateat. Unicam fare adducunt notam, quod aegri, surdi alioquin, melius tamen audire potuerint, ore aperto, quodque afluxus materiei vel ichorosae vel pituitosae ex aere nonnunquam praecesserit. Denique etiam plerique fere casus, in quibus utilis fuit haec curatio, surditudinem complectuntur metaстasi post febres aut alias morbos orta productam.

### I5.

#### b. *Cavitas tympani.*

In hac cava congregantur sonori radii, ut inde oscula auditus in motus citari possint. Aëre autem

<sup>y)</sup> Abhandl. der vornehmsten chirurg. Operat. B. III. S. 192.

<sup>z)</sup> Richters chirurg. Bibl. B. VIII. S. 324.

<sup>a)</sup> Schmuckers verum chirurg. Schriften, B. III. S. 113.

<sup>b)</sup> Richters chirurg. Bibl. B. X. S. 615.

repleta est haec cavitas, non eo quidem, quam spirat homo, sed mutato omnino. Etenim per tubam Eu-  
stachianam adductus aer tum calore naturali hujus parti-  
tis, tum vaporibus humorum in cavea exhalantium vi-  
cissitudines aliquas pati videtur. Eae autem vicissitu-  
dines non possunt non particulas eas augere, quibus  
materies calorifica attrahitur, adeoque elasticitas aeris  
increscit.

Hinc congestis in hanc cavitatem humoribus labefactari debet auditus, quod maxime fit, dum in febre aut post eam humores morbos eo abscedunt. VAL-  
SALVA enim pluries vidit in hominibus, qui in febre acuta surditate correpti fuerant, caveas tympani hu-  
moribus repletas, quod et MORGAGNIUS de iis con-  
firmavit, qui apoplexia decedunt. c)

Hic praeterea vidit in mulieris soporosa febre cum surditate defunctae cadavere saniosam materiem in cavea tympani et vicinis sinuositatibus. d) Alius juve-  
nis cadaver secuit, qui cum fistulosa carie processus mastoidei alterutrius audiverat tamen. Ibi tota tym-  
pani cavea pure repleta et ossa vicina carie exesa erant. e) In muliere etiam, quae ex pleuritide in sur-  
ditatem inciderat, cavea tympani materie purulenta  
reple-

c) Epist. anat. VII. 6.

d) De sedib. et causs. morb. ep. VI, 4.

e) Ib. ep. XIV. 5.

repleta, cellulae mastoideae humoribus refertae, utriusque tympani membrana flaccidissima et nigricans apparuerunt. f)

## 16.

Satis vulgaris ea caufa, materiei nimirum saniosae, purulentae aut aquosae congestio in cavea tympani, dignosci potest sequentibus signis:

1. Praegressus est morbus, in quo humores abscedere in hanc partem potuerunt. Is autem maxime vel rheumaticus, vel inflammatorius, vel nervosus esse solet.

2. Nonnunquam simul adjuncta est caries partis petrosae, quae suis omnino signis dignoscitur. (§. 7.)

3. Saepius quoque humor ille defluit in gulam, cuius memorabile exemplum adducitur in ephemeredibus naturae curiosorum. g) Mulieri cuidam, quae effluore albo suppresso surda siebat, defluit, quoties caput inclinaret aut comederet, humor salsus in linguam. Alia per plures annos jam surda, quae omni hyeme sanie effluxum ex aure passa erat, saepius quoque cum pruritu in palato saliva laboravit. h)

f) Ib. ep. XXI. 24.

g) Dec. II. ann. 7. p. 171.

h) Act. nov. nat. cur. vol. I. obs. 223.

4. BUSSONIUS praeterea arbitratur, nonnunquam tensionis et fluctuantium humorum in cavea tympani sensum percipi, quod vero satis arbitrarium iudico signum. *i)*

5. Quodsi denique per cellulas mastoideas aliquid inicitur, humores impuri abundanter iterum effluunt.

## 17.

*c. Tuba Eustachiana.*

Summi momenti est haec tuba ad propagandos sonorum radios cum aëre ex ore per membranam fenestrae rotundae seu tympanum secundarium in labyrinthum. Hinc itaque, laborante membrana tympani primarii, ope hujus tubae tympanum secundarium auditui praesse potest. (§. 10.)

Quanta sit hujus tubae in auditu promovendo utilitas, vel ex observatione quotidiana patet, quod, dum sternutamus aut nasum fortiter emungimus, obauditionem saepius aut hebetudinem auditus percipimus, quae virtus illico evanescunt, cum deglutiendo musculos exercemus eos, qui tubam Eustachianam ambeunt. Veri enim per quam simile est, dum nasus emungitur aut vehementer sternutatur, muci copiam obsidere officium ejus tubae, eum mucum autem optime propelli,

*i) Haller, diss. chirurg. vol. II. 44.*

cum salpingopharyngeus et palatopharyngeus agunt.  
Detrahitur enim hactenus tuba Eustachiana, ut attracto  
pharynge et constricto mucus deprimatur. Hinc  
etiam VALSALVA vidit, obturata splenii tuba Eusta-  
chiana auditum amitti. k)

## 18.

Oritur saepius ea surditatis aut hebetis auditus spe-  
cies in catarrho aut glandularum tumore rheumatico,  
quo tum tonsillae, tum glandulae palati tubae Eustachia-  
nae vicinae adficiuntur. Meminit WEFERUS l), a pa-  
rotide ulcerata auditum penitus esse abolitum. Ita  
saepius etiam in angina parotidea surditas accedit m),  
accidit in aphthis et narium polypis, qui orificia tuba-  
rum Eustachianarum occupant n). Vidit SIMSIUS ex  
tonsillarum tumoribus subito ortam surditatem, quae  
sternutatione iterum illico evanesceret, dum fragorem  
in aure aeger perciperet. o) Aliud exemplum surdita-  
tis multo magis diurnae et tonsillarum etiam tumoris  
idem narrat, quae surditas protinus tollebatur, ut con-  
tentio ore aëris versus aures propelleretur.

k) De aure humana c. 5. §. 10.

l) Observ. de affect. capit. obf. 183. p. 894.

m) Störk lib. de cicuta, p. 281.

n) Valsalva de aure humana, p. 90.

o) Medic. Abhandl. der Lóndon. Gesellsch, B. I. S. 22.

19.

*Diagnosis bujus speciei morboae  
versatur*

1. in investigandis caussis remotis. Frigus admissum, catarrhus, rheumatismus, tumores scrofulosi aliarum glandularum probabilem faciunt opinionem, quod Eustachiana tuba, maxime ejus initium, patiatur,

2. Cum aeger aërem vehementer propellit, clauso ore et naribus, haudquaquam molestum illum sensum ponderis et tensionis percipit, quem sentiunt, qui apertis tubis Eustachianis aërem per illas versus membranam tympani pellunt.

3. Continuo simul aeger tinnitus sentit et susurrum aurium, quem aëri in cavitate tympani coërcito adjudicare possumus, sicut eundem sentimus, quoties mucus aut alii humores orificium tubarum occludunt, dum nares emunguntur.

4. Melius audire solent ejusmodi surdi, dum alieni sonitus aures adficiunt; multo obtusior vero est auditus in solitudine et perfecta quiete.

5. Suam ipsorum vocem multo minus audire solent, quam antea. Unica vero injectione per nares in tubam Eustachianam facta, multo melius suam vocem audiunt. p)

p) Wathen in Lefke's Auszügen aus den philos. Transact. B. IV. S. 267,

6. Si quod vestigium auditus superest, id penitus perditum it, dum aeger meatum auditorium manu occludit.

20.

*d. Ossicula auditus.*

Cum alterna eorum ossiculorum agitatione aër ita concutiat, ut nervus inde adfici possit, vario modo auditus laborare potest, dum haec ossicula morbosca sunt.

Patitur autem eorum motus, dum nimia mole laborant. Vedit enim COTUNNIUS in aure surdi stapedem duplo majorem quam in statu naturali, et ab hoc ossiculo occlusam totam fenestram rotundam. q)

Vel etiam ob ancylosin aut immobilitatem articulorum nulla agitatio ossiculorum fieri potest. VALSALVA vedit in surdo stapedis basin cum fenestra ovali coailitam r), et Perill. MECKELIUS incudis et mallei ancylosin merito existimat in veteribus surditatem efficiere. s)

Praeterea saepius dislocationem contingere in ossiculis auditus, maxime dum aqua extenduntur ventriculi cerebri, testatur BLUMENBACHIUS. t)

q) Cotunni de aqueductibus, §. 72.

r) De aure humana, c. 2. §. 10.

s) Diss. de labyrinth. auris, thes. IX.

t) Beschr. der Knöchen, S. 140.

Ex incudis defectu quendam surdum fuisse a nativitate inde, docet BONETUS. u)

Haec vero vitia omnia ossiculorum difficillime dignoscuntur, licet VALSALVA credat, ea maxime adfecta esse, quum auditus tantummodo difficilis est, ac aeger locum, unde sonus venit, indicare nequit. Quae tamen difficultas satis vulgaris est et in aliis causis surditatis, neque unico huic signo fidendum esse mihi videtur. Sola caries ossiculorum, quae frequenter sat accidit, dignosci omnino potest. (§. 7.)

## 21.

e. *Labyrinthus.*

Quo magis in ima penetralia hujus organi inquirimus, eo difficilior si caussarum ibi latentium diagnosis. Divinari autem in his adytis potest, si nulla praegressa fuerit caussa, quae externa adfecit instrumenta, sed quae praesertim aquulam labyrinthi inficere potuit. Abscessus enim humorum, quem metastasis dicimus, hoc fluidum potissimum adficere potest, unde saepius manifestae fortes aut caseosa massa aquulam eam inquinare vix sunt. v)

Deficit nonnunquam aquula, quae ad sonos propagandos per quam necessaria est, ac cum deficit, sic

u) Sepulcr. anat. lib. I. sect. 19. obs. 4.

v) Duverney de organo auditus, P. III. p. 43.

citas partium simul oritur, quam saepius in surdorum cadaveribus animadvertisimus. *w)* Nonnunquam eam siccitatem divinaveris e siccitate totius corporis, et e caussis siccantibus.

## 22.

*f. Nervus ipse acusticus.*

Saepissime fere nervus ipse mutatus, aut structura ipsius intima potius ita alienata est, ut conjectura probabili hanc mutationem praeternaturalem consequi magis quam certo cognoscere possimus. Nonnunquam vero post mortem manifesta nervi degeneratio conspicitur in surdis, qui alioquin sana habebant organa externa. *x)*

Generatim vero nervum ipsum adfectum esse, efficiamus e sequentibus signis:

1. E caussis praegressis. Dum enim e sanguinis impetu, e caussis debilitantibus aut irritantibus surditas consequitur, magis ad nervi adfectem quam ad organorum exterorum labem refugendum est.

2. Consensus surditatis cum aliorum nervorum vitio. Saepius enim observatum est, surdos simul mutant esse, quod ubi accidit, nervi ipsi pati videntur.

*w)* Kritter et Lentini vom schweren Gehör, S. 45.

*x)* Fr. Hoffmann de auditu difficulti, §. 12.

Etenim radices acustici nervi una cum radicibus vagi e quarto cerebri ventriculo ortae vicinae satis sibi sunt, atque fere cohaerere solent. Similiter plane observatum est, visum simul labefactari, ubi auditus patitur, aut alternos esse hos morbos. y)

3. Consensus utriusque auris. Altera enim obtusius audire solet, dum in altera penitus deficit auditus. Id autem nunquam accidit, cum instrumenta externa auditus laborant.

4. Symptomata laesi alio modo auditus. Tinnitus aurium saepe comitatur surditatem, nonnunquam summa sensilitas praecessit, ut nullum ferre sonum aeger posset: tum subito incidit in surditatem.

## 23.

Ut autem speciatim in hos nervi ipsius adfectus inquiramus, primum suppressio sentus et impotentia ejus oriri solent saepe subito ex spasmis vel e congestis humoribus versus caput.

Vera plethora in mulieribus, quarum menstruus fluxus interceptus est, saepius surditatem produxit. z) A vomitu vehementi sanguinis impetus versus superio-

y) Den sing in Bartholin. ep. IV. 40.

z) Lentini observ. fasc. I. 8.

ra ortus auditum abolevit. a) Sic virum novit HOFFMANNUS spongiosi habitus, qui a primis aetatis annis circa aequinoctia frequentia narium stillicidia passus fuerat, deinde venaefectionibus adsuetus: quas cum omisisset e consilio medici, auditus gravitatem cum tinnitu aurium perperissus est. b) Hinc etiam venaefectiones auditus difficultatem saepius levare observatum est.

Aliorum humorum congestionem versus aures arguere licet, ubi praegressi sunt catarri aut rheumatismi, ubi inprimis dentium adfectus catarrhales, parotidum tumores aut tonsillarum in surditatem tranfierunt. Tunc enim aquosorum humorum abscessum transiisse in nervi acustici vaginam credibile est. Eas autem congestiones vel vesicatoriis vel balneis tepidis levari aut penitus tolli, nonnunquam observatum est. c) Hinc etiam levamen saepius percepérunt ejusmodi aegri a masticatoriis, quibus saliva multa eliciebatur, vel a mercurii ipsius usu, qui ptyalismum excitabat. d)

a) *Fabric. Hildan.* cent. V. obs. 12.

b) *Hoffmann medic. ration. system.* tom. IV. p. II. sect. I. cap. I. obs. 7.

c) *Paulitzky's Beobacht.* Th. II. n. 5. *Thompson in Samml. für prakt. Aerzte.* B. III. S. 515.

d) *Gordon in medic. Comment. von Edinb.* B. III. S. 82.

## 24.

Spasticos affectus saepius junctos esse; quibus nervus acusticus consensu cum aliis partibus nimis irritatur, vel ex una patet MORGAGNII observatione, quae in surdo quodam strigofos esse musculos interni auditus organi, ipsum docuit. e)

Cutis praesertim vitia, quae suppressa sequuntur exanthemata, cum surditatem producunt, ita agere videntur, ut spasmus excitent, quo actio nervi acustici supprimitur aut penitus tollitur. Ex retrorsum crusta lactea f), ex capitis immersione in mare g), ex herpete repulso h), ex frigore subitaneo pedes corripiente i), ex ulceribus praepropere siccatis k) aliquis id genus cutis affectibus surditas producta non alio modo mihi quidem orta fuisse videtur, quam ex spasmo cutaneo versus aures propagato, unde etiam quae spasmus eum solvere ac irritatas partes mollire potuerant, optime profuerunt. Balnea tepida l), moschum m), vapores

e) Epist. anat. VII. 15.

f) Milloradovics diff. de surditate. Hal. 1796.

g) Gordon in medic. Comment. von Edinb. B. III. S. 82.

h) Poupart von Flechten, S. 67.

i) Lange in Schmucker verin. Schriften, B. III. S. 307.

k) Jaffer ib. p. 122.

l) Wepfer observ. de affect. capit. 128.

m) Forest. obs. lib. XII. 7. 15.

tepidos, praesertim e fabis <sup>n)</sup>), auditum quandoque restituisse testantur auctores. Hinc quoque arbitror, purgantia remedia, ea que sudores proliciunt, saepe proficia esse in auditu graviori, cum irritamenta morbos alias partes derivare possint. <sup>o)</sup>

## 25.

Denique ad debilitatem et atoniā partium nervosarum respiciendum est, qua sit, ut nervi penitus impotentes fiant ad sensus percipiendos. Eam debilitatem divinare debemus,

1. quoties surditas apoplexiā sequitur, aut alios morbos graviorē, maxime profusiones humorū et haemorrhagias.

2. cum austro flante aut humida tempestate surditas augeturi, minuitur autem sereno coelo et flanti bus borea vel euro.

3. cum post pastum, vel cum spirituosa seger biberit, auditus melior est, jejunum autem maxime surditas infestat.

<sup>n)</sup> Paulli quadripartit, botan. Cl. II. p. 31.

<sup>o)</sup> Cf. Hoffmann medic. rat. system. tom. IV. P. IV. c. 6.  
obl. 5. — Kritter et Lenin S. 113. 123. f.

4. quoties alia adsunt symptomata debilitatis,  
quae ex habitu, pulsu aliisque functionibus desumere  
poteris.

26.

In his vero surditatis casibus maxime proficua  
sunt: quaecunque irritant, praesertim electricitas, va-  
pores e fulsure, bitumine, electro in aures immis-  
sionem, aromata aut balsama injecta, emetica ipsa repetitis et  
parvis dosibus adhibita.

---

## T H E S E S.

---

### I.

Omnis, quae organorum formam atque mixturam normalem multum mutant, morbos atque mortem excitant.

### II.

Vis vitalis non est res per se, sed attributum specificae materiae.

### III.

Graviditas mulierum morbus dici nequit.

IV.

Materiae mortuae vires haud subordinatae sunt viri.  
bus vitalibus.

V.

Oxygenium non est principium vis vitalis.

VI.

Lunae actio in corpus humanum negari non potest.

VII.

Morbi connati tamquam species morborum confide-  
rari non possunt.

KD18  
PICA





DE  
DIGNOSCENDIS  
AUDITUS VITIIS

PRAEMISSA SOLEMNI  
AD THESES MEDICAS DISPUTATIONE,

CONSENSU  
FACULTATIS MEDICAE  
HALENSIS,

GRADUM DOCTORIS MEDICINAE  
IMPETRATUS

DISSESTIT  
CAROLUS FRIDERICUS GIEBELHAUSEN,  
MANSFELDENSI.

HALAE  
TYPIS JOANNIS GODOFREDI RUFFII.  
MDCCIC.

